

Heinrich Schuckmann Heinrich Schuckmann

Disputatio Iuridica De Pacto Successorio,

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731861442>

Druck Freier  Zugang



Erbsechtersvertrag

H. Gharckmann - H. Gharckmann ^{Ant.} / C
R. U. Juv. 1645.

DISPUTATIO JURIDICA

De

75
PACTO SUCCES-
SORIO,

Quam

DEO Juvante,

Consensu Amplissimi Collegij Juridici in
Illustri Academiâ Rostochiensis.

PRÆSIDE

Viro Amplissimo & Consultissimo,

DN. HEINRICO Schuckman/ Jcto,
Codicis Professore, Ducalis Consistorij Ad-
fessore, Dn. Parente venerando,

Die 15. Martij horis matutinis, in
Auditorio Majori,

Publicè ventilandam proponit

HEINRICUS Schuckman/ Autor
& Respondens.



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typog.

Anno M. DC. XLV.

1045



VIRIS
SPECTABILIBUS, AMPLISSIMIS
ac CONSULTISSIMIS

DNN. DECANO,
SENIORI, CÆTERISq; PRO-
FESSORIBUS Inclutæ Facultatis
JURIDICÆ in Univerſitate
Rostochienſi,

*Dnn. Præceptoribus & Patronis
pl. honorandis*

Disputationem hanc Juridicam
in debiti honoris ac observan-
tiæ testimonium

inſcribit

HEINRICUS Schuckman/
Autor & Respondens.





Adsis Sancte Spiritus: sine tuo
numine nihil est in homine.

THESIS I.

P Actum successorium est conventio de vi-
ventis successione inter duos pluresve facta *l. 3. in pr.*
ff. de pollicitat. l. ult. C. de Pactu. Quod rectè dispefi-
tur in licitum & illicitum.

2. Illicitum Pactum fit vel de bonis *d. l. ult.* vel de officio viventis *c. nulla 2. X. de concess. prebend.*
3. Illud ab his fieri constat, qui viventis bona ad se perventura sperant *d. l. ult.* sive sui, sive extranei sint.
4. Ab extraneis hoc pactum fit, quia bonorum viventis, cujus successores se fore credunt, nec sunt nec habentur Domini *§. ex his s. in verb. h. per extraneam, Inst. per quas personas cuiq. acq. proindeq. de illis pacisci non possunt d. l. ult. in fin.*
5. Sui, quandoquidem vivo adhuc patre paternorum bonorum quodammodo Domini existimantur *§. sui Inst. de hered. qual. & differ. in eoq. statim à morte parentis quasi continuatur Dominium §. sui Inst. de hered. que ab intest. def.* quia tamen non absolutum nec plenum dominium in rebus parentis vivo eo obtinent *l. in suis 11. ff. de liberis & postb. de futura successione illicitè paciscuntur. l. 15. C. de pact. l. 3. C. de coll. l. 61. ff. de V. Oblig.*
6. Fieri pactio illicita solet vel de acquirendâ vel de omittendâ viventis hereditate. Pactio de acquirendâ hereditate tribus modis initur: Primò cum ab aliquo quis paciscitur hereditatem, ut sibi heredi instituto eam post mortem relinquat *l. 15. C. de Pact. l. hereditas C. de pact. convens. l. 61. ff. de V. O.*
7. Secundò, cum inter quosdam convenit de certo modo & ratio-

ne, quã deferendam sibi tertij. hereditatem invicem adire & dividere ve-
lunt *d. l. ult. C. de pactis.*

8. Talis autem conventio pura vel conditionalis est; pura, quasi o-
mninò hereditas ad paciscentes perventura *d. l. fin.* Conditionalis, in-
quã ad duplicem casum contingentem paciscentes respiciunt, v. g. si ille
mortuus fuerit de cujus successione agitur, vel si ipsi ad hereditatem illi-
us vocentur.

9. Tertio cum inter privatos scripto comprehenditur, ut is, qui su-
pervixerit alterius rebus potiatur *l. 19. C. de pact.* cujusmodi pactum re-
ciprocum vulgò appellatur.

10. De omittenda hereditate pactio fit, quando liberi paternæ heredi-
tati renunciant, quæ ad eos omni jure pertinet *l. 3. C. de Collat. l. 35. §. illud
C. de inoffic. Test. l. fin. ff. de suis & legit.*

11. Taliter ergò pactiones initæ, illicitæ sunt & nullam virtutem
nullumq; robur de jure obtinent, adeò ut neq; actionem *l. hereditas C.
de pact. conv. l. 4. C. de inutil. stipul.* neq; obligationem pariant *l. 15. C. de
pact.* neq; etiam paciscentibus successionem ab intestato *d. l. 3. C. de
Collat.* aut testamenti factionem *d. l. 19. adimant.*

12. Hæc autem impotentia promanas, Primò à jure naturali seu geni-
tium, quo suprã descripta pacta pro illicitis & invalidis ideò reputantur,
quia odiosa, plena tristissimi ac periculosi eventus & contra bonos mo-
res sunt, spemq; mortis acerbissimam adferant *d. l. ult. C. de Pactis.*

13. Secundò à jure Civili, urpote cujus autoritate duobus tantum
modis regulariter hereditas alicui obringit, ex testamento & ab intestato
*§. fin. Inst. per quas person. cuiq; acquir. nò vero ex pacto l. 5. C. de pact. conv.
l. 34. C. de Transact.* in tantum ut paciscens hereditatem viventis sive totam
sive ex parte *l. an pars. ff. pro derel. l. 76. ff. de rei vindic.* eã tanquam indi-
gnus privetur *l. 2. in fin. ff. de hù que ut indig. auf. l. 29. §. fin. l. 30. ff. de donat.*

14. Tertio à jure Canonico, quod similiter ista pacta rejicit, *§. fin. X. de
Pact. junctã l. ult. in verbis contra bonos mores C. eod.*

15. An autem illicita successionis pacta non iustineantur, juramento
si fuerint munita quaritur? Jus civile certè ea removeere constat *ex l. 7.
§. 16. ff. de pact. l. non dubium C. de h.*

16. Nec diversum ab eo jus Canonicum statuit *c. non est obligatorium
de Reg. Jur. in 6to; junctã l. ult. in verbis contra bonos mores C. de Pactis* ex-
cepto solo illo pacto, quo filia patri, se abstinere velle ejus hereditate, do-
reque

reque contentam fore promittit, hoc enim si juramento non vi nec dolo
præstito roboratum fuerit, servari jubet *c. quamvis de pactis in 6to.*

17. Nec illud est sine ratione. Primò enim quilibet, nisi ætas, metus,
vis vel alia obstant, renunciandi juri suo liberam habet potestatem *c. ex
conscientiâ 9. X. de Crim. fals. c. si de 6. X. de privil. & excessibus.*

18. Secundò cessat in ejusmodi pacto captandæ mortis votû, quod
tunc solum præsumitur, si agatur de acquirendo non amittendo *arg. c.
nulla X. de concess. præbend. l. 11. C. de Transact.*

19. Tertiò hoc pacto efficitur, ut dotem filia nõ conferat, quod aliàs
facere cogeretur, si post mortem intestati patris vel bonorum possessio-
nem peteret vel se paternis bonis immisceret *l. 1. l. ult. ff. de collat. dot. l. 3.
C. de collat.*

20.

Ab expositione pacti illiciti successionis bonorum, pro-
gredimur ad illud, quod fit de successione in officio viventis, & vulgò
dicitur *Expectativa*.

21. Hujus descriptio peti potest ex suprâ allegato *c. 2. X. de concess.
præbend.* quo officia Ecclesiastica, antequam vacent, tribui alicui vel
promitti disertis verbis prohibentur.

22. Quod ipsum ad civilia etiam officia rectè extendimus; siquidem
gentiles quoq; tantæ religionis fuisse liquet, quod officia nondum va-
cantia sub spe mortis nulli assignare voluerint.

23. Undè pactum successionis in officio, tanquam turpe & divini
judicij animadversione plenum, contra omnia divina & humana jura
fieri adseveramus.

24. Jus divinum enim per præceptum de concupiscentiâ alienæ
mortis desiderio omnibus interdicit, quale desiderium ab eo abesse, qui
in spem nondum vacantis officij adducitur, haud est credibile.

25. Idem quoq; prohibent humana jura: nullus enim extat in Jure
textus, quo pactum successionis in officio viventis probetur; prohibitum
igitur intelligitur, quod non invenitur concessum *c. inter 2. vers. præser-
tim X. de Transl. Episcop.*

26.

Succedit pactum licitum, quod similiter fit de successione

A 3

vel

vel in bonis vel in officio viventis. Successionis bonorum licitum pactum tam jus publicum, quam jus privatum approbat.

27. Juris publici illud est, quo inter Electores convenit, ut secularis primogenitus Laicus, vel eo deficiente ipsius filius, vel neq; primogenitus neq; suis heredibus extantibus Senior frater Laicus respectivè patri vel avo in electoratu succedant, & ejusmodi conventio tanquam lex perpetuò valitura à Carolo IV. confirmatur *A. B. Tit. 7. C. 25.*

28. Huic conventioni annumerantur pacta hereditaria & gentilitia, quæ aliàs confraternitates vocari consueverunt, & inter Principes ac illustres personas de feudis Imperij ineuntur, accedente Imperatoris confirmatione *Andr. Gail. 2. observ. 127. n. 6. C. 8.*

29. Pacta quæ Jure privato licita censentur, in triplici sunt differentiâ, cum enim jus privatum dividatur in scriptum & non scriptum, & sub scripto jus civile ac canonicum, sub non scripto consuetudines Feudorum comprehendantur, rectè pactum quoddam jure civili, quoddam jure canonico, quoddam jure Feudali licitum reputatur.

30. Jure civili pacta probantur, quæ sunt vel de incerti hereditate, veluti si socij conveniunt, ut quæ justa hæreditas alterutri obvenerit, communis sit: talis autem pactio ad eam tantum hereditatem pertinet, quæ jure legitimo non verò ex testamento defertur *l. 3. S. 2. ff. pro socio.*

31. Vel de successione certi, Primò à militibus ad descrimen prælij pergentibus & bona sibi invicem ita relinquentibus, ut altero mortuo ad superstitem defuncti hereditas perveniat *l. 19. C. de Pact.*

32. Secundò ab aliis privatis. v. g. si paciscentibus de dividendâ tertij hereditate voluntatem suam ipse tertius accommodet, in eâq; ad extremum vitæ spatium perseveret *l. ult. C. de Pact.*

33. Tertio à Fratribus fideicommissò à patre invicem gravatis, his enim pacto sibi illud remittere est indultum per *l. 16. C. de pact. l. 11. C. de Transf.*

34. Jus Canonicum ratum esse jubet pactum à filia patri factum, de quo vid. suprâ thes. 16. &c. Ad hoc autem ut valeat, requiritur, Filiam 1. non esse impuberem 2. dotem congruam h. e. pro modo facultatum patris *l. 19. C. de heret. Nov. us. c. 3. vers. si alicui accepisse.* 3. non vi nec dolo præstito juramento renunciationem suam vallasse, *c. quamvis 2. de pact. in 6to.*

34, Hæc

35. Hæc tria si tali pacto absunt, non servatur, si verò simul concurrunt, adeò validum est, ut renunciantem filiam à successione patris penitus excludat, non autem à fratris; licet in ejus hereditate præter bona paterna nihil inveniatur: renuntiatio enim restringi debet ad causam & personam ob quam facta est *l. jubemus 21. C. ad. Scum. Vellejan. l. 27. §. 4. ff. de pact.*

36. Hinc & illud fit perspicuum, quod jurata matris renunciatio non obsit nec noceat liberis, si post mortem ejus casus succedendi contigerit, tum enim liberi ad hereditatem, cui à matre erat renunciatum, ex propria persona nihilominus vocantur *§. filij nati 2. Feud. 26.* Secus est si mater post avum decesserit.

37. Pactum, quod Jure Feudali licitum perhibetur, fit, quando Dominus de Feudo sui militis, post mortem ejus ad Dominum reversuro, in alium investituram facit, quæ investitura tum demum capiet effectum, cum feudum Domino Laico aut heredi fuerit apertum: non idem est in Ecclesiasticis personis, ab his enim sic facta investitura non aliter valebit, quam si ipsis non etiam successoribus eorum Feudum aperiatur *2. Feud. 26. §. moribus.*

38. Omnia hæc recensita pacta honesta & licita sunt, proindeq; de jure valent, sed ex quâ causâ & ratione, non usquequaq; apparet; reddi tamen posse arbitramur & generalem & specialem horum pactorum rationem.

39. Generalis est, quod à lege approbentur & valida ac rata habeantur; quicquid autem lex juxta disponit & ordinat, licitum & justum esse quis negabit?

40. Specialis quoq; singularum pactio ratio non est in abstracto posita; nam juris publici pacta nituntur tam lege divinâ, quæ primogenitis prærogativam quandam tribuit *Deut. 21. vers. 17. humanâ l. 19. C. de pactis. Andr. Gail. 2. obser. 127. num. 9.* quam præsumptione, quæ omnem sinistram suspicionem captandæ mortis à principibus & illustribus personis excludit *Gail. d. l. num. 2.*

41. Juris etiam privati pacta propter sequentes rationes suo pollent robore: Primò enim contractus societatis pacta de communicando & participando lucro, cujus generis aliquod describitur in *l. 3. §. 2. ff. pro soc. minimè respuit §. 1. Inst. de societate.*

41. Se-

42. Secundò, militibus, quibus aliàs ex singulari privilegio propter periculum cui obnoxij sunt, contra commune jus multa indulgentur, etiam pactum de mutuà successione facere licet *d. l. 19. C. de pact.*

43. Tertiò suprema defuncti voluntas pacta successione confirmat *d. l. ult. C. de Pact.* quæ ipsa instat legis est observanda *Nov. 22. c. 2. verbis disponas.*

44. Quartò ob concordiam inter Fratres retinendâ, *l. 12. C. de Transf.* ob jurisjurandi religionem *c. quamvis de pact. in 6to* ut & convenientiam inter feudum & usumfructum *Andr. Gail. 2. obs. 155. num. 3.* de futura successione pactio licitè interponuntur.

45. Ex his ergò rationibus eam vim sortiuntur successoria, pacta, ut obligationem & actionem pariant, quâ paciscentes experiuntur, ut consequantur, quod pacto comprehensum fuit *per l. 6. ff. de Pact.*

46. Præter illa, de quibus jam actum, sunt & alia pacta hereditaria, quæ vel ex consuetudine Germaniæ vel certorum locorum statutis servantur, qualia sunt pacta inter conjuges, inter parentes & liberos prioris matrimonij, item pactum unionis prolium &c.

47.

Restat licitum pactum successione in officio, quod fit. Primò consentiente eo, qui officium, quod in conventionem venit, administrat *arg. l. ult. C. de pact.* quò pertinet designatio futuri successoris in dignitatibus publicis imperij, Regni &c. *Barthol. Musc. de success. conv. & anom. class. 1. memb. 1. conclus. 3. lit. P. num. 39. & seqq.*

48. Deindè de officio temporario, quale in republ. Rom. fuit Dictatoris *l. 2. §. 18. ff. de Origin. Jur. Prætoris &c. Princ. Inst. de perpet. & temp. act.* Tertiò quando digno alicui indefinitè officium promittitur, quod prius caducum factum fuerit *Andr. Gail. 2. obs. 155. num. 6. in fin.* quia in his tribus casibus alienæ mortis captandæ votum locum habere non videtur.

DEO SOLI GLORIA.

MS(O) 50



35. Hæc tria si tali pacto absunt, non serva-
currunt, adeo validum est, ut renunciantem
tris penitus excludat, non autem à fratris; licet i
bona paterna nihil inveniatur: renuntiatio enim
sam & personam ob quam facta est *l. jubemus 2.*
l. 27. §. 4. ff. de pact.

36. Hinc & illud fit perspicuum, quod jurata
oblit nec noceat liberis, si post mortem ejus ca-
rit, tum enim liberi ad hereditatem, cui à mat
propriâ persona nihilominus vocantur *§. filij*
est si mater post avum decesserit.


37. Pactum, quod Jure Feudali licitum perhib-
nus de Feudo sui militis, post mortem ejus ad
alium investituram facit, quæ investitura tum
cum feudum Domino Laico aut heredi fuerit ap
Ecclesiasticis personis, ab his enim sic facta inv-
bit, quam si ipsis non etiam successori eorum Fe
26. §. moribus.

38. Omnia hæc tenus recensita pacta honeste
de jure valent, sed ex quâ causâ & ratione, non us-
tamen posse arbitramur & generalem & speci-
rationem.

39. Generalis est, quod à lege approbentur
antur; quicquid autem lex juxta disponit & ordi-
quis negabit?

40. Specialis quoq; singularum pactio num
posita; nam juris publici pacta nituntur tam
genitis prærogativam quandam tribuit *Deut. 5.*
C. de pactis. Andr. Gail. 2. obser. 127. num. 9. qua
omnem sinistra suspicionem captandæ mo-
stribus personis excludit *Gail. d. l. num. 2.*

41. Juris etiam privati pacta propter sequen-
robore: Primò enim contractus societatis pact
participando lucro, cujus generis aliquod descri-
minimè respuit *§. 1. Inst. de societate.*



mul con-
one pa-
e præter
t ad cau-
Vellejan.

atio non
contige-
atum, ex
6. Secus

o Domi-
rsuro, in
ffectum,
em est in
iter vale-
2. Feud.

roindeq;
ret; reddi
actorum

ta habe-
stum esse

abstruso
æ primo-
anâ l. 19.
ne, quæ
us & illu-

o pollent
cando &
f. pro soc.

41. 56-